

bae a figura vel foliorum laevitate Arnoglossi, id est, agninae linguae nomen impositum est, ita species isthaec Soleae, Arnoglossus a laevitate vel figura recte (inquit) nominabitur; squammis enim carere videtur, prorsusque laevis esse. Suis Perpeire vocari ait, et ex Solearum genere esse, ex corporis habitu, figuraque cognosci: Differre autem ab aliis, quod multis squammis tenuissimis et statim deciduis, integatur: corpore esse valde gracili, candido.

Quintam diminuto nomine *Ligulam* dicit, quod sit in hoc genere omnium minima; negatque majorum Solearum foeturam esse, quandoquidem semper parva sit: nunquam dodrantalem magnitudinem excedens. Lineam, quae corpus dirimit, spinamque firmat, vel tuetur, huic ex squammis ait esse compositam longe eminentioribus, quam in toto corpore, dempta ea parte, quae circa maxillam inferiorem est: durior carne esse quam Buglossus laevis, *glutinosique* nonnihil habere: satis rarum esse piscem, et ob corporis tenuitatem vilem.

Sextam ac postremam Gallis *Fletam* dictam quod fluitando natet, antiquis (ut putat) incognitam, solisque Oceani accolis notam, Graecorum imitatione, qui rei magnitudinem $\beta\epsilon$ et $\pi\pi\pi\sigma$ particulis indicant, Hippoglossum appellat, quod caeteras non solum Soleas magnitudine vincat, verum etiam quatuor digitorum longitudine quandoque inveniatur. Esse autem ex Solearum genere, vel ex primo aspectu iudicari posse scribit: oblongo enim (inquit) contractoque est corpore, parte altera candida, altera nigricante, in qua oculi sunt. Ore est contorto, dentibus munito cithari modo, quibus Buglossi carent. Carne est dura, sed suavi, ad Rhombi naturam proxime accedente. Ossa habet spongiosa, quibus inest medulla; quae

a cupediarum amatoribus expetitur. Piscis est maris Oceani, Antverpiae salitus, et in frustra dissectus venditur. Capitur etiam saepe in Oceano juxta Galliae Bononiam. Ibi hujus frustra farinae massae probe subacta et pasta inclusa, aromatisque condita in furno coquuntur, ut diutius servari possint et exportari. Aldrovandus, non tantum aliud Hippoglossi genus, squammis praeditum minoribus, undique sibi concolor, flavescens scilicet; quodque a latere uno lituras nigras, pinnam et caudas in extremo caeruleas, habet, exhibet: sed et alterius Soleae genus, quod squammis tegitur latissimis, estque unicolor et albicans. Quam Bellonius *Taeniam* vocat, illa tenuis gracilisque piscis est; et quod Athenaeus de Taeniis prodidit, Alexandriae, Canopi, et Seleucia in Antiochia, frequentissime reperitur. Bene ab Aristotelis et Rondeletii *Taenia*, in qua pinnarum numerus cum Anguillis convenit, distinguitur. Omnium fere marium piscis est, sed cum Rhombis Pontum ingredi Plinius negat, flumina ingressos multum pinguescere, Londini Bellonius didicit, in stagnis deteriores evadunt. *Littorales* sunt Oppiano, Ovidio in herbosa arena degunt. Terra, hoc est vado maris excavato per hyemem condicreditur.

Nam quia lapides in capite habet, et corpore est tenui, frigus exhorrescit. Quantum ad *usum in cibis*, Matron Parodus apud Athenaeum, mediocrem succum praebere, ut saxatiliam vicem supplere possint, scribit. Galenus Passere molliorem, perperam asserit.

Duram enim esse, vel exinde, quod diutius servetur, longa vectura putrescat, sic melior reddatur, colligitur. Facile tamen concoqui et minime excrementitiam esse, apud Rondeletium lego. Patinam ex soleis apud Apicium vide.

Aldrovand.
Histor. Pi-
scium l. 2.
c. 43.

Arist. H. A.
l. 2. c. 13.

Oppian.
Hal. l. 1.
v. 99.

Athen. Di-
pnos. l. c.

Galen. de
Alim. facult.
l. 3. et l. de

Cibis boni et
mali succi
c. 3.

Apic. l. 2.
c. 4.